



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXVIII. Obitus S. Henrici, & visio de eius meritis in trutina expensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

Obitus S. Henrici, & visio de eius meritis in  
trutina expensis.

**H** eius verò transitu, terra plorante, cœlum exultauit, sicut Dominus per suam misericordiam reuelare dignatus est. Sub ipsa etenim hora exitus illius cuidam seruo D E I in solitudine commoranti, diabolus sub humana specie traditur apparuisse. Quem vir D E I per spiritum protinus agnouit, & ait: Quo vadis? Cui ille: ad exequias, inquit. Principis pergo. At ille respondit; Vade, inquit, & comple negotium tuum, in quantum tibi à Domino permittitur. Veruntamen consummato officio tuo, adjuratus per D E V M viuum, ad me reuertere, vt per te rei exitum cognoscam. Post modicum verò reuersus coram seruo D E I gemebundus adstitit, & voce querula, & ingenti v lulatu dixit: Heu, heu delusi sumus, in vanum laborauimus, quin etiam ab Angelis D E I confusi discessimus. Assistantibus enim hinc & inde nobis, & spiritibus Angelicis, merita animæ iustæ in statera appensa sunt; & fasciculis peccatorum deprimenti bus, iam pœnè pars nostra præponderauerat. Tunc subito \*ad uſus quidam superueniens cum catino aureo, partis dextræ lancem onerauit, mirumq; in modum parti nostræ adeò præponderauit, vt & ipso catino ad terram collapso \*ruina collisionis signum impresserit. Itaq; victores Angeli animam nobis eruptam gaudentes in suum consortium abduxerunt.

Hæc verò tametsi corporaliter gesta referantur, necesse tamen est, vt virtute spirituali completa intelligantur. Res etenim spirituales per corporales exprimitur imagines, cum que aliud foris agitur, aut dicitur, intus aliud geri significatur. Præmemoratus & sâpe rememorandus D E I famulus cælicem aureum in honorem D E I, & commemorationem S. L A V R E N T I I Martyris Ecclesæ Mersburgensi contulerat, cuius speciali patrocinio coram Deo adiutus, & in ipsa sui exitus hora creditur liberatus. Omni verò veneratione, & admira-

*Similia leguntur, in Compilacione Chro- nologica.*

\* Ita vocat S.

*Laurentium olim à Tyranno in craticula assatum.*

\* Fratela Vide- licet ansa, &c ex Crancio col- ligitur.

*Quomodo, quod de state- ra dicitur, in- telligendum sit.*

tione dignum esse perpenditur , quod eadem hora calix in certa custodia clausus habebatur , nec minus tamen prædictæ collisionis materiale signum exceptit.

## C A P V T X X I X .

*Ablutio Calicis mutata in sanguinem.*

Mersburgum.

*Nota morem  
sancti Impera-  
toris; sumendi  
ex calice, in  
quo sacrificia-  
tum fuerat ab-  
lationem. Sic  
Grati sanctifi-  
cationis loco  
panem, ex quo  
materia pro  
sacrificio de-  
sumpta est,  
manducant.*

*Vinum ablu-  
do sacro calici  
infusum, mu-  
tatum in san-  
guinem.*

Matth. 6.



E codem verò calice , quid religiosorum viro-  
rum relatione in veritate audierimus,futurorum  
memoriis intimare opera precium dignum du-  
ximus. Cū enim prædictus Christi Confessor  
HEINRICVS, pro disponendis Regni negotiis Marsipolim  
venisset, accidit, vt quadam die ad altare S. Laurentij attentissi-  
mè Missam audiret. Qua completa, sicut semper facere con-  
sueuerat, ablutionem calicis sumere volebat, sed interuenien-  
te magno negotio regni , quod vir sanctus proposuit, tūc tem-  
poris fieri non potuit. Vocato itaq; custode Ecclesiæ, rogauit  
eum , vt calicem cum ablutione in mundo loco reponeret, &  
cum omni diligentia seruaret : quoadusq; ipse exoccupatus  
aptum tempus & locum ad sumendam illam inueniret. Ex-  
crescentibus autem causis & placitis, tota die illa turbatus non  
potuit se expedire. Postera verò die, post matutinas cum pau-  
cis secretariis suis, clanculò monasterium introiuit, & diutius  
flexis genibus, & profusis lacrymis D E M exorauit, accersi-  
toque custode calicem cum ablutione sibi afferri præcepit.  
Cumq; allatus fuisset, & discoopertus, inuenierūt ablutionem  
illam in formam veri sanguinis transmutatam. Quod factum  
mirabile mox vniuersis, qui aderant, innotuit, & nunc, & sem-  
per in laudem D E I, & gloriam Confessoris sui omnis Ecclesia  
successoribus suis enarrabit.

## C A P V T X X X .

*Parænæsis & Epilogus.*

Iscite ergò diuites huius seculi facere vobis amicos  
de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, ipsi vos in ater-  
na recipient tabernacula.

Huius